

bus [eò quod Exilium istud diuturnius futurum] interim facienda. Indicantur verò quinque; potissimum, quorum (1) Ut ædificent domus. (2) Ut plantent vineas. (3) Ut ducant uxores, filiisque suis accipiant uxores, filiabus verò viros. Alibi Scriptura (id quod & hinc in translatione germ. observavit *Theander Lutherus*) ut maxime *Deuter. 7, vs. 7.* distinguit inter *accipere* & *dare*, quorum illud parentibus competit ratione *filiorum*, quibus tenentur *accipere* uxores: hoc verò respectu *filiarum*, quibus parentes tenentur *dare* viros. Sed hinc duo observentur Aphorismi, quorum 1. *Parentes*. 2. *Filios* spectat.

Parentibus pia convenit sollicitudo, qua filiis ac filiabus, ad justam ætatem proventis, de commodo matrimonio prospiciant, juxta exhortationem *Sirac. 6, 7, 27.* & Exemplum *Abrahami Gen. 25,* Quod si patres vel avaritiæ vel morositatis vitio sui officii obliti, impedire voluerint præter rationem honestum filiorum matrimonium; sequendum est consilium *Lutheri Tom. 5. Ien. in l. de Matrim. artic. 5. f. 252.* Itemque *fol. 253.* Nam, ut *Jureconsulti* rectè dicunt: *Patria potestas consistere debet in pietate, & non in atrocitate.*

Filii verò absque prævio parentum consensu nec possunt, nec debent fidem conjugalem alicui promittere; sed in hoc etiam tenentur honorare parentes juxta præceptum quartum, & exempla *Isaaci Gen. 25.* & *Samsonis Judic. 14.* Non enim tantum de honestate est consensus parentum, uti *Canonistæ* impiè delirant; sed etiam de necessitate. (4) Quod præcipitur, est, ut quærant pacem *Babylonis* i. e. ut studia sua conferant ad ea, quæ ad regnum illud amplificandum facere videantur. (5) Ut pro eadem intercedant; Ex *Monarchiæ* enim istius salutis, etiam *Hebræorum* salutem dependere.

Ubi monemur, orandum esse pro Magistratibus & non tantum iis, qui nostræ religioni addicti, & veræ Ecclesiæ membra; sed etiam pro iis, qui extra Ecclesiam, adeoque *gentiles*, ut *Nebucadnezar* & *Nero Tyrannus 2. Tim. 2, 2.* Nam ut hinc causa monstratur, ex salute Reipublicæ etiam salus & incolumitas Ecclesiæ constat. Et *Lutherus* pereleganter: *Politia, inquit, servit Ecclesiæ; Ecclesia servat Politiam.* In (II) Membro subjicitur dehortatio, ne auscul-

U 2

tent

8.6.

8.7.

8.8.